

(Admodum Illustris, et Reverendissime Domine. Accepi ante duos dies litteras Amplitudinis Vestrae Reverendissimae, cum adjuncto insigni libro, eoque non minus docte scripto, quam egregie compacto, qualem decebat esse partum nobilissimi ingenii vestri. Coepi continuo librum evolvere, et non sine admiratione animadverti ab Amplitudine Vestra libros pene omnes esse pervolutatos. Ago ingentes gratias pro litteris humanissimis, et pro gratissimo munere. Si quid ego vicissim possim in gratiam Reverendissimae D. Vestrae in hac Urbe, vel alibi praestare, libentissime perficiam. Unum est, quod addere cupio, et precor Amplitudinem Vestram, ut in bonam partem accipiat, ut a me ex charitate sincera procedit. Nescio an tantus labor litterarius, praesertim in libris Gentilium legendis, non impediat Pastorale officium. Ego enim non solum in sanctis Patribus, et Sacris Conciliis legi, quanta sit gravitas sarcinae Pastoralis, sed etiam proprio experimento didici in triennio illo, quo Archiepiscopali officio functus sum, sarcinam illam adeo esse gravem; ut non relinquat otium respirandi, ne dum libros ab illa professione alienos legendi. Reolat, obsecro, Reverendissimus Dominus praeter alia, Concilium Carthaginense 4. Can. 17. et 20. et ignoscat nimiae fortasse licentiae meae, qua talem, ac tantum Virum officii admonere volui. Dominus noster Princeps Pastorum Amplitudinem Vestram strenue laborantem custodiat, ac protegat in via; et tempore suo consoletur et coronet in Patria. Romae die 11. Maji 1615.
